

SCRIPTA

Numéro Scripta : 422

Auteur(s) : Roger Ier, Jumièges, Saint-Pierre (abbé)

Bénéficiaire(s) : Robert de Bonnebos [particulier]

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : [1171-1176]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Roger [Ier], abbé de Jumièges, cède à Robert de Bonnebos le droit de franche moulte pour les hommes de son fief de Saint-Pierre à Hauville, moyennant, entre autres conditions, le paiement de 60 sous de rente, dont 30 sous le jour de la nativité de saint Jean-Baptiste et pareille somme à Noël.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° CVIII, t. 2, p. 9-11.

Dissertation critique

La datation est celle donnée par J.-J. Vernier.

Texte établi d'après a

Noverint presentes et futuri quod Rogerus, abbas Gemmeticensis, assensu capituli sui, concessit Roberto de Bonesboz et heredibus suis moltam omnium hominum suorum in feodo sancti Petri apud Hausvillam manentium, eo pacto quod Robertus annuatim abbati .LX. solidos pro molta illa reddet, XXXa. solidos in nativitate sancti Johannis Baptiste et .XXXa. in nativitate Domini. De blado abbatis vel ballivi ejus non capietur moltura. Bladum abbatis non perdet locum suum pro blado Roberti, nec bladum Roberti pro blado abbatis. Homines abbatis sicut venient ad molendinum habebunt locum suum nec pro aliquo perdent nisi pro blado abbatis vel Roberti. Si molendinarius invenerit hominem abbatis de alio molendino venientem et fidem suam capere voluerit quod farina illa non debet illi molturam, veniet cum homine illo ad ballivum abbatis et ei recr edet farinam usque ad diem quo jus suum coram ballivo apud Hausvillam habebit. Si bussellus molendini pejoratus fuerit, coram ballivo et hominibus abbatis et per eos reparabitur. Si homines abbatis vel eorum summarii in via molendini capti fuerint, Robertus eos usque ad diem replagiari faciet. Si Robertus .XXXa. solidos infra octabas sancti Johannis Baptiste et alias .XXXa. infra octabas natalis Domini abbati non reddiderit, abbas moltam retinebit donec nummi reddentur. De omnibus querelis que pro causa molendini inter homines abbatis et Roberti orte fuerant, erit placitum apud Hausvillam in curia abbatis, ita quod abbas habebit jus suum ut dominus, et Robertus ut molendinarius. Teste abbatte H[enrico] Fiscannensi et Ricardo abbatte Audonensi, et Ansfredo abbatte Sancti Wandregisili, Rag. de Gerponville, H. de Ramesec, Willelmo de Mala Palude, Roberto de Freschenis, Roberto de Ogervila, Radulfo de Bello Monte, Adam de Hauvilla, Auberto de Renille, Willelmo fratre ejus, Willelmo Carbonnel, et multis aliis.